



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

Caput IV. De impedimentis Matrimonii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

CAPUT IV.

De impedimentis Matrimonii.§. I. *Quid & quotuplex sit impedimentum Matrimonii?*

Matrimonium hîc præcipuè consideratur in ratione contractûs, & per consequens impedimentum matrimonii est, omne illud, quod impedit contractum matrimonii.

Impeditur autem duobus modis, nempe quando redditur nullus, vel quando illicitus.

Impedimenta matrimonii etiamsi directè solum afficiant contractum, indirectè tamen, & ex consequenti afficiunt ipsum Sacramentum, cum contractus sit materia illius.

Impedimentum matrimonii dividitur in impedimentum dirimens, & in impediens tantum.

Dirimens dicitur, quod efficit matrimonium invalidum, & nullum. *Impediens* tantum, quod non efficit invalidum, sed illicitum.

Princeps sæcularis ex natura rei potest constituere impedimenta matrimonii dirimentia, si matrimonium in ratione contractûs consideretur: Ex quo tamen matrimonium ad rationem Sacramenti elevatum est, Ecclesia facultatem ejusmodi impedimenta constituendi sibi voluit reservatam, ut ex praxi perpetua, & traditione fidelium constat.

Impedimenta dirimentia recensentur his verbis:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,

*Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis Affinis, si Clandestinus, & Impos,
Si Mulier sit rapta loco, nec reddita tuto:
Hec socianda vetant connubia, facta retractant.*

§. 2. *Error, Conditio, Votum,
Cognatio, Crimen.*

ERror huc pertinens assignari solet quadruplex: videlicet *Persona*, ut si putes te contrahere cum Joanna, & contrahas cum Antonia: *Fortune*, ut si putes te contrahere cum divite, quæ tamen est pauper: *Conditionis*, ut si conjux putetur libera, quæ tamen est serva: *Qualitatis*, ut si putes te contrahere cum nobili, & est ignobilis.

Error dividitur in antecedentem & concomitantem. *Antecedens* est, qui est *causa actus*, & *in eum influit*, ita quidem ut absque illo non poneretur *actus*: concomitans verò, qui non est *causa actus*.

1. Error personæ jure naturæ dirimit matrimonium, quia illo posito, deest verus consensus.

2. Error qualitatis, sive accidentium personæ de se, & ex natura rei non irritat matrimonium, quia accidentia personæ non sunt objectum contractus, sed ipsa persona, in quam similiter consentit.

Nota 1. Conclusionem non esse intelligendam de errore qualitatis, qui est *antecedens*, quia si contrahens ita sit animo affectus, ut ad contrahendum merè moveatur à qualitate personæ, quam existimat subesse, & nolit contrahere nisi qualitas subsit, deest consensus, si qualitas non adsit.

Nota

Nota 2. Nec eam esse intelligendam de errore qualitatis, quando contractus est conditionatus, & qualitas personæ exigitur à contrahente per modum conditionis, ut V. G. si dicam: *Contraho tecum, si sis integra, si sis primogenita &c.* quia tali casu error qualitatis redundat in personam.

Per *conditionem* intelligitur *servitus propriè dicta*. Servitus cognita jure positivo dirimit matrimonium, ut si persona libera contrahat matrimonium cum persona serva, quam existimat esse liberam. Aliter judica, si priùs conditionem servilem antè agnoverit.

Votum solemne tum in religione approbata emissum, tum in susceptione Ordinis majoris connexum dirimit jure Ecclesiastico matrimonium contrahendum. Item votum simplex in Societate Jesu emissum dirimit similiter matrimonium contrahendum. Patet ex Bulla Greg. XIII. incipiente: *Ascendente Domino*.

Triplex est cognatio dirimens matrimonium: naturalis, spiritualis, & legalis.

Cognatio naturalis, seu consanguinitas est, *Propinquitas multorum ab eodem stipite communè descendantium per generationem carnalem*. Talis est cognatio inter fratres &c.

Per stipitem communem intelligitur commune principium generationis, ex quo nempè multi descendunt, ut V. G. pater, aut mater est communis stipes respectu fratrum, & sororum, & hic stipes est primùm inquirendus, quotiescunque volumus dignoscere gradus consanguinitatis.

Cognatio spiritualis est, *Propinquitās Jure Ecclesiastico introducta inter aliquas personas ratione Baptismi, & Confirmationis.* V. G. inter baptizatum, & baptizantem &c.

Cognatio legalis est, *Propinquitās personarum proveniens ex adoptione, per quam extranea assumitur in filium, vel nepotem, ita ut transeat in potestatem adoptantis, & ei succedit tanquam heres.* His dictis,

Pet. 1. Ad quem usque gradum cognatio naturalis dirimit matrimonium?

R. Dirimit usque ad quartum gradum inclusive.

2. Inter quos cognatio spiritualis dirimit matrimonium?

R. Cognatio spiritualis orta ex Baptismo dirimit matrimonium postea contractum inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, inter susceptorem, & susceptum, susceptique Patrem & Matrem.

Orta ex Confirmatione dirimit similiter inter confirmantem & confirmatum, confirmatique patrem, & matrem, inter susceptorem, sive tenentem, & susceptum, susceptique patrem, & matrem. Ita Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. ibidemque tolluntur omnes cognationes spirituales, quæ inter alias personas solebant contrahi.

3. Ad quem usque gradum cognatio legalis dirimit matrimonium.

R. Usque ad quartum inter adoptatum, & adoptantem, quamdiu adoptio durat, & non aliter.

4. Quæ

4. Quæ crimina dirimunt matrimonium?
 x. Duo, videlicet: *Adulterium & homicidium*, dummodo adsint conditiones requisitæ ad impediendum illud.

Dirimit autem *adulterium* matrimonium inter adulterantes primò, si adulter vivente conjugè contraxit matrimonium cum adultera, aut vice versâ. Secundò, si adulteri, vivente conjugè, sibi promiserint matrimonium post mortem conjugis ineundam.

Homicidium dirimit matrimonium, quando uxor V. G. communi consilio cum Petro procurat mortem mariti, aut quando maritus comuni consilio cum *Berta* procurat mortem uxoris eâ intentione, & pacto, ut simul contrahant matrimonium post illius mortem.

§. 3. *Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.*

CULTUS DISPARITAS est, *Differentia, quæ reperitur inter personam baptizatam, & non baptizatam.*

Hoc impedimentum contrahitur, quia hæc disparitas contraria est matrimonio ratione principalioris boni ipsius, quod est bonum prolis educandæ ad cultum Dei. Quòd si ambo in infidelitate contraxerint, maritus ad fidem conversus cum conjugè infideli poterit remanere, etenim quod matrimonio semel valido tantùm supervenit, illud non dissolvit; eam tamen dimittere poterit, si nullo modo pacificè, & non sinè

blasphemia divini nominis cohabitare velit, dicente Apostolo: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hac consentit habitare cum illo, non dimittat illam..... Quod si infidelis discedit, discedat.* 1 ad Cor. 7. Unde si post discessum aliam (fidelem tamen) in uxorem duxerit, validè contraxit, non quòd causa dissolutiva prioris matrimonii sit baptismus, sed matrimonium secundū initum.

Matrimonium fidelis cum hæretica, quamvis non sit invalidum, potest tamen ratione circumstantiarum esse illicitum, quando est periculum, ne fidelis subvertatur à conjuge, & ne proles educetur in hæresi, præsertim si uxor sit hæretica.

Vis est, *Violentia, seu coactio, qua fit per incussionem metus injusti, & ad extorquendum consensum ordinati.*

Hinc nec ex levi, nec ex naturali causa proveniens metus, matrimonium poterit impedire, aut irritare.

Si quis ergò metu mortis, inferni, naufragii imminentis periculo concubinam duxerit, validus est contractus. Pariter si metus incutiarur justè, V. G. Si Judex minetur mortem stupratori, nisi stupratam ducat &c.

ORDO: Sub hoc nomine intelligitur Ordo major, qui dirimit ex constitutione Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. matrimonium postea contrahendum, non antè contractum.

LIGAMEN est, *Matrimonium cum alio validè contractum, etiamsi non fuerit consummatum: quo durante, uxor alligata est viro, nec aliam ducere potest.*

potest. Si vir mortuus fuerit, *soluta est à lege viri*. Hujus autem mortis certitudinem ex temporis mora, aut diuturna absentia non divinet, sed certis ex nuntiis, ut definit Clemens III. *Cap. in presentia. de sponsalibus.*

HONESTAS PUBLICA est, *Impedimentum proveniens ex sponsalibus validis, vel ex matrimonio rato, & non consummato, vel etiam ex matrimonio invalido ob aliam causam, quàm ob defectum consensûs sufficientis, ut si contrahatur cum errore personæ &c.*

P. 1. In quo gradu honestas orta ex sponsalibus validis dirimit matrimonium?

R. In primo gradu utriusque lineæ inter sponsum, & consanguineos sponsæ, item inter sponsam, & consanguineos sponsi. Ita Trid. sess. 24. cap. 3. de reform. Hinc si valida contraxeris sponsalia cum Catharina, invalidè contrahis matrimonium cum Anna sorore Catharinæ, etiamsi ante contractû Matrimonium hæc mortua fuerit, quia hoc impedimentum est perpetuum, perseveratque post mortem.

2. Ad quem usque gradum justitia publicæ honestatis orta ex matrimonio rato dirimit Matrimonium?

R. Usque ad quartum, constat ex Bulla Pii V. cui titulus: *Ad Romanum spectat.*

3. Ad quem usque gradum justitia publicæ honestatis orta ex matrimonio ob aliam causam, quàm ob defectum consensûs, invalido?

R. Etiam usque ad 4. constat ex Bulla citata.

§.4. *Amens, Affinis, si Clandestinus, & Impos.*

AMENTIA PRÆCEDENS Matrimonium, si sit perpetua, dirimit Matrimonium ante contractum, quia amens non potest liberè consensum elicere. Si autem sequatur, Matrimonio jam validè contracto, non dirimit illud ex natura sua indissolubile.

Caveat tamen maritus uxori amenti debitum reddere, propter abortûs, aliorumque inconvenientium pericula.

AFFINITAS nil est aliud, quàm *propinquitas orta ex carnali copula, afficiens virum, & consanguineos viri.* Dirimit Matrimonium contrahendum usque ad quartum gradum inclusivè, si orta sit ex copula licita; usque ad secundum, si orta sit ex illicita, aut fornicaria.

Dixi *contrahendum*, quia si affinitas supervenit Matrimonio jam contracto, illud non dirimit, sed tantùm impedit, quò minùs illa pars, quæ peccavit, possit exigere debitum.

P. 1. Utrùm affinitas pariat affinitatem, id est, an ego V. G. siam affinistuis consanguineis, quia factus sum tibi affinis?

R. Neg. Post Conc. Lateranense IV. sub Innoc. III. anno 1215. celebratum, & sic Titius potest ducere Annam sororem Caiæ uxoris fratris sui, quamvis Caiæ sit affinis. Ex his

Sequitur 1. Duos fratres posse Matrimonium contrahere cum duabus sororibus, imò patrem, & filium, cum matre, & filia.

2. Quòd

2. Quòd titius, qui uxorem duxerat sororem Petri, possit post mortem Petri, ejusque sororis, inire Matrimonium cum *Anna uxore Petri*.

3. Quòd filius uxoris ex alio marito, possit contrahere cum filia mariti ex alia uxore.

4. Virum, mortuâ uxore, posse contrahere cum relicta uxore fratris uxoris suæ.

2. Utrùm affinitas oriatur ex matrimonio non consummato?

R. Neg. Sed ex illo oritur justitia publicæ honestatis, ut suprâ dictum est, quia affinitas nascitur ex copula carnali consummata.

3. Utrùm affinitas oriatur ex copula coacta?

R. Aff. Colligitur ex Cap. *discretionem*. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris.

MATRIMONIUM CLANDESTINUM est, *Celebratio Matrimonij sinè presentia Parochi, vel alterius Sacerdotis, cum ejus licentia, & duorum testium, dirimitque Matrimonium sic contractum, in locis ubi Trid. est receptum.*

IMPOTENTIA est, *perpetua incapacitas ad perficiendam copulam.* Et hæc dirimit Matrimonium, si in alterutra conjuge antecedit Matrimonium: si autem obveniat post contractum, non dirimit illud.

P. 1. Quæ impotentia vocatur perpetua?

R. Illa, quæ non potest removeri arte medicâ, vel absque periculo vitæ aut simili gravi incommodo. Ex dictis

Collige 1. Quòd illa impotentia sit perpetua, quæ non potest auferri, nisi per artem

ma-

magicam, seu aliam actionem illicitam. *Illud non possumus, quod jure (sinè peccato) non possumus.* Reg. juris in sexto.

2. Quòd illa etiam impotentia sit perpetua, quæ non nisi per miraculum tolli potest. Miraculum autem voco, *quod sit modo extraordinario, & inconsueto*, quia, si impotentia ex maleficio proveniens, per ordinarios exorcismos, & Ecclesiæ preces auferri possit, non erit impedimentum ditimens.

2. An mulier validè contrahat, quæ non potest generare vel nequit edere fætum nisi mortuum?

R. Aff. Quia sufficit, quòd possit consummare Matrimonium, & per accidens est, quòd effectus Matrimonii non sequatur.

3. Quantum temporis conceditur ad explorandum, utrùm impotentia sit perpetua?

R. A jure concedi triennium. Finito autem triennio conceditur reclamatio, seu declaratio occulti impedimenti, ut ab invicem separentur.

4. An non peccaverint putatitii hi conjuges, cum stante Matrimonii nullitate, attenta- verint actus fornicarios?

R. Neg. Quia laboraverunt ignorantia facti, quæ ipsos à peccato formali excusat.

5. Quid si separatione factâ pars impotens deprehendatur non laborasse impotentia perpetuâ, ex eo V. G. quòd cum alio copulam habuerit?

R. Teneri experiri, utrùm non sit impotens respectivè, id est respectu alterius partis, à qua fuit separata, etsi deprehendat se respectu illius

illius non ampliùs laborare impotentiâ, debet ad eam redire, etiamsi utraque transisset ad secundas nuptias, quia Matrimonium illorum fuit ab initio validum, secus loquere, si deprehendat se respectu illius adhuc esse impotentem.

RAPTUS est, *violenta abductio alicujus persone invitæ in ordine ad Matrimonium.* Raptus autem dirimit Matrimonium contrahendum, ita ut cum illa persona, quam raptor invitam rapuit per se, vel per alium, nisi priùs ponatur in loco tuto, & restituatur pristinæ libertati, contrahere non possit.

CASUS XIII.

Filia nobilis, & dives obtinet dispensationem ad contrahendum Matrimonium cum consanguineo, ob inopiam, quam pro titulo impetrandæ dispensationis falsò allegabat; antequam verò Matrimonium contrahat, revera depauperatur, quid faciendum?

R. Dispensationem non subsistere, quia vult Pontifex, ut preces veritate nitantur, dum actu dispensat: proinde dispensatio ab initio erat nulla, ergo frustratur effectu, nisi iteretur, quod non fit nisi denno petatur.

CASUS XIV.

Quedam femina nobilis ante contractum Matrimonium declaraverat se potius passuram quidvis, & mortem sibi illaturam libentiùs, quàm contraheret cum ignobili: postmodum autem defectus nobilitatis in marito fuit manifestus, & inde illa voluit resilire à Matrimonio. Queritur, quid dicendum sit in hoc casu?

R.

R. Quòd istud Matrimonium fuerit nullum, quia in illius contractu evidenter defuerat consensus illius fæminæ.

Nec refert, quòd fuerit dumtaxat initum cum errore qualitatis, quia erat error antecedens in personam redundans.

CASUS XV.

Mulier Joanna sibi conscia erat de nullitate Matrimonii propter impedimentum dirimens sibi notum: interim non audebat illam nullitatem indicare marito, quia noverat illum ad rixas &c. pronum. Permittebat copulam carnalem, quotiescumque maritus illam requireret, queritur, an hæc mulier culpanda?

R. Aff. Et procul dubio, nullatenus enim poterat reddere debitum conjugale, etiamsi hæc incommoda prævidisset, cum Matrimonium esset absolutè nullum, & non sint facienda mala, ut eveniant bona, vel avertantur mala.

CASUS XVI.

Plures tetigerunt quamdam filiam, dum baptizabatur, sed nullus fuit determinatè designatus patrinus. Queritur: an omnes, qui istam filiam in tali casu tetigerunt, contraxerint impedimentum cognationis spiritualis?

R. Quòd nullus eorum contraxerit: quia Conc. trid. extendit hujusmodi impedimentum tantum ad eos, qui designati fuerunt. Si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spirituales nullo modo contrahunt. Sess. 24. cap. 2. de reform.

CASUS XVII.

Quidam parens baptizavit propriam prolem.
qua.

*queritur, an contrahat cognationem spiritualens
sum prole, & ejus matre?*

R. Si id faciat scienter, & extra casum neces-
sitatis Aff. si id faciat in necessitate, vel igno-
rante, negativè.

Ratio primæ partis est, quia Trid. sess. 24.
cap. 2. generaliter statuit impedimentum cogna-
tionis spiritualis inter baptizantem, & baptiza-
tum, baptizatique patrem, & matrem.

Ratio 2. partis est, quia in rituali Pauli V. dici-
tur: *Pater, aut mater propriam prolem baptizare
non debet, præterquam in mortis articulo, quando
alius non reperitur, qui baptizaret: neque tunc
nullam contrahunt cognationem, quæ Matrimonii
usum impediatur.* Si autem pater propriam baptizet
prolem, existimans esse alienam, nullum simi-
liter contrahitur impedimentum, ut constat ex
Cap. *Si vir*, de cognatione spirituali.

CASUS XVIII.

*Titius, & Caia procurant mortem Semphronii
mariti Caia. Simul non paciscuntur de Matrimonio
ineundo, nec spem postea contrahendi sibi mutuo faci-
unt, sed de ista re nihil loquuntur; an contrahant
impedimentum dirimens ob crimen?*

R. Aff. Si saltem interiùs sperent, aut contem-
dant simul postea contrahere. Imò videtur suffi-
cere, quòd malitiosè procurent mortem Sem-
phronii, quia Cap. *Laudabilem* de conversione
infidelium nihil aliud exigit.

Favet etiam ratio, quia Ecclesia meritò præ-
sumit, quòd tales machinati sint de morte

ma-

mariti, vel cum pacto de matrimonio ineundo,
vel cum spe illius.

C A S U S XIX.

*Joannes putans uxorem suam vivere, contrahit
cum Constantia coram paroco, & testibus, volens
illam decipere; postea verò intelligit, uxorem suam
reverà fuisse mortuam, ac proinde non subfuisse im-
pedimentum ligaminis in secundo contractu: valet-
ne matrimonium sic initum?*

R. Non valere, si Joannes nullo modo Con-
stantiam ducere voluerit, quia consensum inter-
num ad valorem Matrimonii necessarium esse,
antè demonstravi: si tamen Joannes generalem
habuerit intentionem sese obligandi, prout pote-
rat, eamque ducendi, quatenus illud possibile
erat, contractum valuisse patet.

C A S U S XX.

*Quaedam foemina, existimans suum maritum esse
mortuum, bonà fide contraxit matrimonium cum
secundo viro; sed postea dubitat de morte mariti,
& quidem dubio probabili, ac prudenti, queritur
quid illa mulier debuerit agere?*

R. Illa, stante tali dubio, non potuit petere
debitum, quia se exposuisset periculo adulterii:
unde inducere debuit maritum, ne debitum exi-
geret, maximè si fuerit dubii conscius, sed præ-
stolaretur ad breve tempus, ut certi de valore
Matrimonii, vel de nullitate clarè videant, quid
sinè peccato fieri possit, & debeat.

C A S U S XXI.

Maritus quidam committit incestum cum con-

san-

sanguinea uxoris suae in tertio gradu: potestne adhuc exigere debitum à sua uxore?

R. Aff. Quia copula illicita tantum parit affinitatem usque ad secundum gradum, & consequenter isto titulo non impeditur, quo minus exigat debitum ab uxore. Aliud porro dicendum esset, si maritus cognosceret consanguineam uxoris suae in primo, aut secundo gradu.

CASUS XXII.

Paulus, & Paulina Matrimonium Autverpia contrahere volentes, sed non valentes, in Flandriam tendunt præcisè ideo, ut ibidem contrahant; ibique junguntur. Queritur, an Matrimonium subsistat?

R. 1. Si eant in Flandriam animo ibi non manendi, nisi donec juncti sint, Matrimonium non valet, quia tunc non censentur in Flandria verè habere domicilium. Porro Trid. sess. 24. cap. 1. exigens benedictionem proprii parochi, apertè intelligit de parochi, apud quem contrahentes verè habitant in proprio domicilio.

R. 2. Si eant in Flandriam ibidem semper habitaturi, vel notabili tempore, matrimonium valet, quamvis ideò præcisè in Flandriam ierint, ut ibi contrahere possent. Ratio est, quia tunc verè in Flandria domicilium habere censentur: sicut Scholastici in Academia, V. G. qui Philosophiæ, vel Theologiæ incumbentes Lovanii, vel Duaci comorantur, aut sicut sollicitatores in Curia, &c. neque ex eo, quòd talis migratio in fraudem facta sit, sequitur, quòd ibi jungi nequeant, equidem non fictè, & fraudulenter, sed verè facta est.

Bb

Rsa

Resolutio locum habet, si quis in Galliam &c. tendat subterfugendi Concilii Trid. decreti de presentia parochi &c. causâ.

CASUS XXIII.

Quidam Judex Ecclesiasticus, existimans quamdam feminam perpetuò impotentem, tulit sententiam de nullitate matrimonii: sed postea experientiâ probatum est, quòd non fuerit perpetua impotentia, quia genuit filium. Interea factâ matrimonij dissolutione, vir bonâ fide transit ad secundas nuptias. Queritur, an maritus teneatur amplecti primam conjugem, & deserere secundam?

R. Aff. Si non sit ampliùs impotens respectu compartis, à qua fuit separatus. Ratio est, quia in tali sententia fuerat validum coram DEO, adeoque per judicem non poterat dissolvi.

§. 5. De Impedimentis impediens.

HÆc continentur sub hoc versu:
Tempora, mandatum, votum, sponsalia, crimen: Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Primum igitur impedimentum sunt certa quaedam tempora, quibus ab Ecclesia prohibetæ sunt nuptiæ, & earum solemnitates, nempe ab Adventu, usque ad Epiphaniam, & à die cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusivè. Ita Trid.

Secundum impedimentum est *interdictum*, seu *prohibitio*, ut si Episcopus, vel ejus Vicarius, vel etiam Parochus justa de causa prohibeat, ne aliqua persona cum alia contrahat.

Tertium est *votum simplex*, sive sit castitatis, sive

sive religionis ingrediendæ, sive de non contrahendo Matrimonio, sive de suscipiendis S. Ordinibus. Excipe votum simplex, quod in Societate Jesu emittitur, non tantum impediens Matrimonium, sed & jam ex constitutione ecclesiæ dirimens.

Quartum impedimentum sunt *sponsalia*, & ea faciunt, ut qui validè contraxit cum una, non possit licitè contrahere Matrimonium cum alia, nisi priora sponsalia vel per mutuum consensum, vel alia justa de causa fuerint disrupta.

Quintum est *crimen*, & sub hujus nomine continentur septem gravia crimina, ratione quorum Matrimonium prohibetur talibus peccatoribus. 1. Est incestus commissus cum consanguineis uxoris viventis in primo, aut secundo gradu, Item cum consanguineis propriis in eodem gradu. Incestus occultissimus cum consanguineis sponsæ, aut uxoris ducendæ non tantum impedit, sed etiam Matrimonium dirimit. 2. Raptus alienæ sponsæ. 3. Uxorididium, nisi sit commissum in flagranti uxoris adulterio. 4. Occisio Sacerdotis. 5. Susceptio prolis propriæ animo fraudandi suam conjugem debito conjugali. 6. Pœnitentia publica, quamdiu durat. 7. Matrimonium attentatum cum Moniali professâ.

Sextum, quodvis peccatum mortale, quod impedit dignam Sacramenti susceptionem.

Præter hæc impedimenta aliud est, quod occurrit, & non dirimit Matrimonium, sed tamen graviter reddit illicitum, videlicet omissio denunciationum, sive proclamationum absque dispensatione, vel justa causa. Bb 2 Alia

Alia impedimenta sunt sublata modo, partim
ex dispensatione Trid. partim ex consuetudine.

C A S U S XXIV.

*An in Provinciis Belgii confœderati valeant
Matrimonia Catholicorum cum hereticis coram
Magistratu heretico contracta, non obstante decre-
to Conc. Trid. de Solemnitatibus Matrimonij in illis
Provinciis publicato, & recepto?*

R. Non vidi hæcenus, quod ejusmodi Matrimonia cogat pronuntiare certi roboris. An ergò qui sic contraxissent, separandi forent? Nec illud asserere aſſim. Magis placet opinio eorum, qui consulti in tali casu, responderent, eos posse quidem sic manere, nec separari debere, non tamen petere debitum, posse nihilominus reddere; quia tale matrimonium est dubiosum, maximè ob opinionum contrarietatem, eorumque non contemnenda, quibus nituntur, fundamenta. Quam enim res hæc sit dubia, vel ex eo patet, quòd contendant aliqui, ad quæstionem propositam, an scilicet talia Matrimonia valeant? Sacram Congregationem Emin. S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. interpretum, etiam nuper, occasione cujusdam casus Iprensis, *censuisse respondendum negativè*: alii verò desuper Româ instrui postulantes dicant, etiam post diligentem inquisitionem decretum memoratum minimè repertum, neque illud innotescere Missionariorum ulli, quos asserunt oppositum quotidie & docere, & practicare: quamvis Româ sibi rescriptum fateantur, ex Registro Congregationum Sancti Officii, & Con-

& Concilii Trid. compertum, nonnulla propè similia præteritis jam dudum annis emanâsse. Quidquid sit, res valdè ambigua est, proinde à petendo debitum abstinendum, donec conjuges in hac parte meliùs fuerint instructi.

§. 6. *De Denuntiationibus.*

Circa Denuntiationes varia proponi solent observanda.

1. Quòd denuntiationes in Ecclesia fieri debeant. Videntur etiam fieri posse in Oratorio, vel juxta ecclesiam, aut alio in loco, ad quem magnus fidelium numerus concurrere solet.

2. Fieri debent à Parocho, aut alio Sacerdote ex ejus licentia.

3. Debent fieri in Parochia, in qua habitant contrahentes. Si in diversis Parochiis habitent, necessè est, ut proclamationes in utraque fiant.

4. Debent fieri tribus diebus festivis ita continuis, ut nullius festi interventu separentur.

P. 1. An Parochus possit autoritate propriâ denuntiationes illas omittere, vel pauciores tribus facere?

R. Neg. Et Parochus mortaliter peccabit, si vel unam tantùm omittere præsumat; quia *Tridentini* præceptum, denuntiationes illas injungens, non parvi apparet momenti.

2. Quis potest dispensare circa denuntiationes?

R. Juxta Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. id fieri posse ab Episcopo, vel ejus Vicario; non tamen ad dispensandum procedendum est, nisi habitâ causâ. Justæ autem causæ variæ assignantur.

1. Quando Matrimonium creditur injustè impediendum per maleficia, vel per fraudes, seu violentiam parentum, aut aliorum.

2. Quando denuntiationes fieri non possunt absque aliquo notabili incommodo, vel etiam absque scandalo.

3. Si quis in periculo mortis; si quis debeat longiùs proficisci, & iter tantam non patiatur moram, justa est dispensandi ratio.

4. Si Matrimonium priùs publicè contractum, sed ob occultum impedimentum fuerit invalidum.

5. Si timeantur gravia jurgia, vel rixæ inter corrivales, vel etiam inter parentes, nisi statim expediatur.

6. Si ex cita Matrimonii expeditione notabilis aliqua utilitas speretur, dummodo nullum appareat impedimenti occulti periculum.

3. Utrùm factis denuntiationibus, qui impedimentum aliquod novit, illud Pastori, vel Episcopo statim indicare teneatur, etiamsi sit occultum?

R. Regulariter teneri; ideo enim Ecclesia denuntiationes fieri præcepit, ut occulta impedimenta detegantur, atque ita gravia mala, V. G. adulteria, incæstus, sacrilegia &c. caveantur.

Sed quando infamiæ nota contrahentibus inureretur, aut simile aliquod nocumentum ex huiusmodi manifestatione ipsis obveniret, clam de impedimento latente instruendi, & efficaciter monendi essent, ut à matrimonio abstinerent.

Si

Si tamen privata monitio non profutura sciretur, impedimentum, non obstante illâ infamiâ, ad Episcopum, vel pastorem deferre deberet, quando nempe matrimonium hoc pacto impediri posset.

¶ An contrahens, legitimè interrogatus de impedimento occulto, teneatur illud prodere, & à matrimonio abstinere?

¶ Quòd à Matrimonio abstinere debeat, in aperto est. Ceterùm impedimentum licitè detegere nequit, quando ex illa declaratione vel infamię labes, vel simile damnum alicui obveniret. Tunc igitur dispensationem petere, vel prætextum à sponsalibus resiliendi querere debet.

CASUS XXV.

Concubinarium vult concubinam ducere ad prolem legitimandam, & periculum mortis non paritur dispensationem peti: Queritur, an Parochus proclamationes licitè omittere nequeat, non petita ab Episcopo dispensatione?

¶ Aff. Quia mentem Tridentini sic possumus interpretari, ut legem suam ad hujusmodi Casus non voluerit extensam.

CASUS XXVI.

Quid agendum Parocho, ubi occultum aliquod impedimentum subesse deprehendit?

¶ Quòd contrahentes de obice illo monere debeat, & non nisi habitâ dispensatione, matrimonio assistere possit.

Si, non obstante Parochi monitione, partes Matrimonium inire velint, illos ad Episcopum,

ejusve Vicarium remittere poterit, ita tamen, ut ipsum de impedimento debite informet.

Sed quid si hujusmodi impedimentum, non nisi ex confessione Sacramentali norit?

ꝛ. Quod Parochus, secluso contrahentium consensu, extra Confessionem perinde se gerere debeat, ac si nihil sciret.

CAPUT ULTIMUM.

De bonis Matrimonii.

§. I. *Quot sint Matrimonii bona?*

TRia sunt Matrimonii bona fidelium, scilicet
FIDES, PROLES, ET SACRAMENTUM.

Per *Prolem* intelligitur *legitima generatio pro-
lis, ejusque ad cultum Dei educatio.*

Per *Fidem* intelligitur *fidelitas conjugalis, vi
ejus obligantur conjuges inter se commisceri, & non
eum alio.*

Per *Sacramentum* denique intelligitur *vincu-
lum indissolubile Matrimonij, quatenus representat
indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia.*

Actus conjugalis per se est licitus, dum fit ad
debitum finem, qui est generatio prolis, atque
in hunc finem à Deo matrimonium est institu-
tum Gen. 1. *Crescite & multiplicamini.*

P. I. An conjux teneatur reddere debitum alteri
coniugi exigenti?

ꝛ. Aff. Idque sub gravi, quia materia est gravis.
Constat ex Apost. 1 ad Cor. 7. *Uxori vir debi-
tum reddat, similiter & uxor viro. Mulier sui*

cor-